

Illorum uterq; , quod admirandum , omnimodè repletus erat Calculis innumeris , minimis , mediocribus : tribus etiam prætereà maximis , sic , ut internum latus omne , ac finum , pelvimq; , quam vocant , seu aperturam , Renibus æque , ac Ureteribus communem , penitus occluderent.

*Descriptio
Calculorum
Sperlingii :
Non in reni-
bus solum.*

Ureteres ipsi etiam à suo circa Renes exortu , usq; ad Valsulam vesicæ immani arenularum copiâ , & farciminum instar extensi & turgidi videbantur , ut irritus tandem fuerit quotusquisq; Naturæ , sive in promovendâ Urinâ , sive Renum calculis , minoribus quamcumvis , conatus , quem sanè , non sine insigni doloris sensu unquam exorsa est ; sed quotiescunq; hos loco movere aggressa est , visum sibi retulit B. SPERLINGIUS , ac si aliquis cultro acuto vulnus profundum , secundum longitudinem Lumborum ipsi infligeret ; tractusq; hos identidem à summâ illorum parte , usq; ad regionem vesicæ , repetitos daret ; unde colligi potest summa doloris ferocia , & atrocitas , summa totius corporis inquietudo , quâ Optimus Vir decubuit , ut subsequæ tandem mortis exemplo ipse etiam docuerit , verum esse , quod scribit ANDR. LAURENTIUS : (præfat. oper. Anat. p. m. 5.) *Reperiuntur in corporibus nostris fodinæ , è quibus Metalla & Lapides eruuntur , non ad edificandam , sed diruendam domum.*

*Sed totâ eti-
am Ureterum
cavitate.*

Placuit proinde , majoris evidentiaæ ergò , Calculos istos , mortis SPERLINGIANÆ autores , ære delineatos dare , accommodato ordine figurarum , ad ordinem inventionis.

*Iconum , ar-
ticularum ex-
plicatio.*

Primus itaq; , figurâ I. delineatus , sat grandis , figuræ ferè triangularis , sed , circa basin , latioris , quasi montana quæpiam repræsentet , superficiem inæqualis & asperæ , coloris , ut reliqui omnes , ex albo flavescentis , consistentia non fungosæ aut spumæ , sed compactæ magis , & durioris , in cavitate Sinistri Renis hæsit , correspondens illi non parum , quem in muliere quædam visum delineat Tulpius (lib. 2. Obs. Med. 45.) Atq; hic noster , ad æquilibrium vocatus , dum humidior adhuc esset , & magis recens , Drachmas Medicas quasi tres pependit ; replevitq; cum altero sibi accumbente minore , calculisq; quamplurimis aliis minoribus totam modò-dicti Renis Sinistri cavitationem.

Figura I.

Secun-